

B R I T A N N I A.



I jactare licet magnorum munera divum,
Sibique veris fas placere dotibus ;
Cur mihi non videar fortunatissima tellus ?
Digna est malis, bona quae parum novit sua.
Ultima lanigeris animosa est India lucis ,
Suis superbus est Arabs odoribus.
Thuriferis gaudet Panchaia dives arenis ,
Ibera flumen terra jactat aureum.
Ægypto faciunt animos septem ostia Nili ,
Laudata Rheni vina tollunt accolas.
Læta nec uberibus sibi displicet Africa glebis ;
Hæc portibus superbit, illa mercibus :
At mihi nec fontes, nec ditia flumina desunt ,
Sulcive pingues, prata nec ridentia.
Fœta viris, fœcunda feris, fœcunda metallis ,
Ne glorier, quod ambiens largas opes
Porrigit Oceanus, neu quod nec amicius ullâ
Cœlum, nec aura dulcius spirat plagâ.
Serus in occiduas mihi Phœbus conditur undas,
Sororque noctes blanda ducit lucidas.
Possem ego laudati contemnere vellera Bætis.
Vbi villus albis mollier bidentibus ?
Et tua non nequeam miracula temnere Memphi.
Verum illa major, justiorque gloria ,
Quod Latii, quod sum celebrata B R I T A N N I A Grajis,
Orbem vetustas quod vocarit alterum.